



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXIII. De religiosis domibus, vt episcopo sint subiectae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

De religiosis domibus, ut episcopo sint subiectæ.

Concilium
Lateranense
sub Innocen-
tio tertio
cap. 12.

A.D.
Circa
1274

Gregorius decimus in Concilio generali Lugdunensi. Religionum diuersitatem nimiam, ne confusione induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetuit. Sed quia non solum importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diuersorum ordinum, præcipue mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, effrenatam quasi multitudinem adinuenit, repetita constitutione districcione inhibentes, ne aliquis de cetero nouum ordinem aut religionem inueniat, vel habitum nouæ religionis assumat. Cunctas affatim religiones & ordines mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem sedis apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subiiciimus, & quatenus processerant reuocamus. Confirmatos tamen per sedem eamdem, post tamen idem Concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem redditus aut possessiones habere professio siue regula vel constitutiones quælibet interdicit, sed per quæstum publicum tribuere vicuum solet incerta mendicitas, modo subsistere decernimus infra scripto, ut professoribus eorumdem ordinum ita liceat in illis remanere, si velint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admittant, nec de nouo domum aut aliquem locum acquirant, nec domos seu loca quæ habent alienare valeant, sine sedis eiusdem licentia speciali. Nos

I M.
FRANC.
GREGORIUS P. X. LVGDVNENSE II. RUDOLPHVS I. IMP.
PHILIPPVS III. R. FRANC. 575

ANNO
CHRISTI
1574.
enim ea dispositioni sedis apostolicæ reseruamus,
in terræ sanctæ subsidium, vel pauperum, aut alios
pios usus, per locorum ordinarios, vel eos quibus
sedes ipsa commiserit, conuertenda. Si vero secus
præsumptum fuerit, nec personarum receptio,
nec domorum vel locorum acquisitio, aut ipso-
rum, ceterorumque bonorum alienatio valeat: &
nihilo minus contrarium facientes sententiam ex-
communicationis incurant. Personis quoque ip-
sorum ordinum omnino interdicimus, quoad ex-
traneos, prædicationis & audiendæ confessionis
officium, aut etiam sepulturam. Sane ad Prædica-
torum & Minorum ordines, quos euidens ex eis
utilitas ecclesiæ vniuersali proueniens perhibet ap-
probatos, præsentem non patimur constitutio-
nem extendi. Ceterum Carmelitarum & eremi-
tarum sancti Augustini ordines, quorum institu-
tio dictum Concilium generale præcessit, in suo
statu manere concedimus, donec de ipsis fuerit
aliter ordinatum. Intendimus siquidem tam de il-
lis, quam de reliquis etiam non mendicantibus or-
dinibus, prout animarum saluti, & eorum statui
expedire viderimus, prouidere. Ad hæc personis
ordinum, ad quos constitutio præsens extendi-
tur, transeundi ad reliquos ordines approbatos li-
centiam concedimus generalem, ita quod nullus
ordo ad alium, vel conuentus ad conuentum se-
ac loca sua totaliter transferat, sedis eiusdem per-
missione super hoc specialiter non obtenta.